Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31662
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

et abiit et tympanizabat ad hostia porte civitatis. et defluebant salive in barbam et ferebatur in manibus suis. Abimelech ipse est qui supra dicitur achis. Interpretatur autem abymelech patris mei regnum achis quomodo est. Significat ergo iudeos quos recte xpc prius appellavit patris sui regnum quod significat abimelech. nunc autem achis ex quo dixerit quomodo est quomodo esse potest. In quo coram istis inmutavit vultum suum. In eo videlicet quod veteris sacramenti ritum convertit in novum. In eo quoque salive defluxerunt illi in barbam. quod cum diceret nisi manducaveritis carnem meam et cetera infantilia videbatur eis verba proferre. Infancium enim est salivam emittere. Tunc quoque tympanizabat ad portam civitatis. quando invitis et audire nolentibus mysterium predicabat sue passionis. futurum esse sciens quod credendo aperiret aliquis. Ferebatur etiam in manibus suis. videlicet cum teneiens in manibus suis panem et vinum accipite inquit et comedite hoc est corpus meum. hic est sanguis meus novi testamenti. Et tamen secundum hebraicam veritatem nunc legimus et collabebatur in manibus eorum. Quarta fuit persecutio. quando miserunt principes et pharisei ministros ut apprehenderent eum. Qui reversi cum dicerent eis. quare non adduxistis eum ad nos. responderunt. Numquam sic locutus est homo. sicut hic homo loquitur. At illi in tentione persistentes. adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam temptantes ut possent accusare eum. Quinta persecutio fuit. vero cum dixisset. amen amen dico vobis antequam abraham fieret ego sum. tulerunt lapides ut iacerent in eum. Sexta vero cum dixisset ego et pater unum sumus. sustulerunt lapides iudei ut lapidarent eum. septima que et ultima vero collegerunt adversus eum concilium nec destiterunt donec crucifigerent eum.

Quis inquam vitam diutina collectione mortis spiritu eius mitem et humilem intelligit. Beatus inquit psalmista qui intelligit super egenum et pauperem. quem iuxta psalmi alterius versiculum persequebatur in invidia. persequebatur in iudaico populo draco ille hominem inopem et mendicum et conpunctum corde mortificare. Nos pene indociles aut nimium tardi ad discendum ab ipso dicente discite a me quia mitis sum et humilis corde. super eum pauperem super eum mitem et humilem pro nobis dolentem propter vulneratum longe minus intelligimus quam oportet intelligere. Ecce inquit propheta quomodo moritur iustus et nemo percipit corde. Ipse quoque in psalmo dicit. Et sustinui qui simul contristaretur et non fuit. Sed numquid vel beata maria cum staret iuxta crucem eius videns quomodo moreretur non percepit corde. et non simul contristata est. Immo multum percepit certe multum contristata est. et sicut predixerat symeon gladius pertransivit animam eius. Discipulus quoque dilectus non sine perceptione cordis. non sine tristicia vidit quomodo moreretur. Ceteri quoque discipuli quamvis relicto eo omnes fugerent. non nichil fuere simul contristati. immo tristicia cor eorum implevit. Ergo non secundum racionis iudicium. sed secundum doloris vim qui interdum racionem non admittit dictum est et nemo percipit corde. et qui simul contristaretur non fuit. et competenter sic dictum esse animadvertimus ubi ad tantam insultationem atque irridentium multitudinem qui condoluerint pre paucitate nullius fuere quantitatis aut numeri. Verum quod alibi dicit circumspexi et non erat auxiliator. quesivi et non fuit qui adiuvaret. et salvavit in brachium meum et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. non est conquestio similis. sed demonstratio verissime rei quia nullus omnino etiam si voluisset quis potuit eum adiuvare sive